



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Blasivs Ep. Et M. 3. Februarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

negatis prolem, orco datis: ite molles filij, qui pluris avocantem patrem, quàm DEVM vocantem, pluris unam matris lacrimam, quàm omnem IESV sanguinem facitis ingrati. Ite & utrique aratis florem discite non mundo, sed templis, sed aris, sed Deo dicare. *Ex Histor. Evangel.*

*Mariam ó fidelis anima imitare, ut enim spiritualiter purificeris, & à delictorum valeas emundari contagijs, in templum cordis tui ingredi, & Deo per orationis studiũ ac contemplationis otium vacare contende. S. Laur. Iust. serm. de Purific.*

S. BLASIVS EP. ET M. 3. Februarij

**B**LASIVS Sebastenus Episcopus in montem Argæum secessit, inde velut ex speculâ gregi suo advigilaturus; ubi feras ad omne genus officij obsequentes habuit; fuitque tam sedulæ servitutis stipendium benè precari stato tempore confluentibus. Subinde cum indagine mons cingeretur, nobile venationis auctarium BLASIVS accessit. Dum ad quæstionem rapitur, non paucis salutem attulit, inter quos filium memorant unicum unicæ matri suæ dilectum, cui de pisce spina fauces obsidens loquelam jam eripuerat, vitam etiam ereptura, nisi prior eam è gutture BLASIVS rapuisset. Atque hoc est, quod à majoribus edocti simili in periculo similem Divi opem hodieque imploramus. Cæterùm ab hominibus ad feras, non à feris ad homines dices migrasse, ita barbarè ab Agricola sudibus secundum acceptus est. Ejus sanguinem cum septem matronæ legissent, ipsæ quoque verberibus laceratæ, in candidissimæ innocentia testimonium non nisi lac per vulnera egeserunt, quod tamen ipsum mox capite truncatæ pulchrè

pulchrè sanguine miscuerunt. At BLASIVS undis, quibus mergendus erat, ancillantibus usus, lacum primò non aliter ac pontem perambulavit, dein velut fessus molliter in medio aquarum consedit; haustis interim vortice LXVIII. viris, qui Deorum suorum fiduciã idem agere tentãrant. Tandem cum geminis unius ex septem, de quibus dixeramus, matronæ filiolis, lictori cervicem præbuit. Quibus è vulneribus plus gloriæ quàm sanguinis manavit. *Ex Surio.*

*Sine ferro Martyr esse poteris, si patientiã in animo veraciter conservaveris: Non pacificus consortiũ non merebitur Angelorum; Lividus & iracundus erit particeps Damoniorum. S. Bern. Mod. bene viv. c. 40.*

S. REMBERTVS EP. 4. Februarij.

**T**antum REMBERTVS apud Deum poterat, ut Sacerdos piacularibus flammis addictus eum patronum expeteret: ut minùs mirère, si, quod in infernos ignes habuit imperium; Antistes Bremensis factus in eorum etiã inquilinum malum genium exercuit. Infederat hic Carolum Crassum postea Imperatorem, universoque regno & Ludovico patri luctuosum dederat spectaculum. Frustrà per Divorum tumulos circumducebatur, frustra carmina devotoriã adhibita, donec REMBERTVS larvis filium, & patrem sollicitudine liberavit. Carolus memor bello nuper patrem se petiisse, falsus ingenuè est, non tunc primùm se diris esse agitatum, sed quoties infestandi patris consilia cepisset; ut intelligant, qui in parentes insurgunt, quo consiliario rem gerant, quin imò jam